



Theodor Fritsch

**Viro praenobilissimo Augusto Dühr Philosophiae Doctori Gymnasii
Friedlandensis Professori et Conrectori quinquagenaria magisterii sacra die
mens. ian. v. a. MDCCCLXXXVI celebranda Schola Cathedralis Gustroviensis piis
votis pro salute nuncupatis congratulatur : addita est Theodori Fritschii epistula**

Gustroviae: Typis Waltenbergianis, [1886]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1042001707>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

VIRO PRAENOBILISSIMO

AUGUSTO DÜHR

PHILOSOPHIAE DOCTORI

GYMNASII FRIEDLANDENSIS PROFESSORI ET CONRECTORI

QUINQUAGENARIA MAGISTERII SACRA

DIE MENS. JAN. V. A. MDCCCLXXXVI

CELEBRANDA

SCHOLA CATHEDRALIS GUSTROVIENSIS

PIIS VOTIS PRO SALUTE NUNCUPATIS

CONGRATULATUR.

ADDITA EST THEODORI FRITZSCHII EPISTULA.

GUSTROVIAE

TYPIS WALTENBERGIANIS.

Admonuere boni nos nuper Vismarienses
Proxime adesse diem, deciens Noeltingius ex quo
Quinos exacti numeraret muneris annos.
Nec monitu fuerat nobis opus: impia pridem
5 Fama novis rebus nostras impleverat aures,
Sedibus umbrosis se subduxisse canique
Tergemino Sophoclem, lauru decoraret ut ipse
Artis amatorem tragicae doctumque patronum,
Gymnasii fortem rectorem, civibus aptum,
10 Exemplumque simul pueris gratumque magistrum,
Aequum collegis collegam. Protinus omnes
Concelebrare diem festum decrevimus atque
Spectatum ludos insuetos agmine denso
Tendere Vismariam, votiva denique laudes
15 Condere Noeltingi tabula. Ne multa, parantur
Omnia. Quid tum fit? Dum nos sermone levamus
Officii curas per pausam quam decima adfert
Hora simul pueris simul expectata magistris,
Hunc dum poma iuvant epulantem, caseus illum
20 Naribus ingratus teneris, adcurrit anhelans
Collega atque refert: „Ego non frustra acta diurna
Hocce die legi, mihi credite! Dührius, inquam,
Festa magisterii complens Irenopolites
Quinquaginta probe gesti annos dignus erit nos

- 25 Quem celebremus! Ad hoc „„Dignus? dignissimus!““ uno
 Ore adclamamus. „„Quis enim sic pectore toto
 Praeceptor, quis ad egregiam sic natus ut ille
 Artem atque officium pueros iuvenesque regendi?
 Quin nec erat suavis magis hoc collega magis nec
- 30 Orator bonus et fortis, communis ubi res
 Undique doctores patriae conflaverat. Heussi
 Tum Pylades erat huic, illi tum fidus Orestes
 Dührus: at dulces disiunxit funus amicos,
 Non disiunxit item fraternum funus amorem.
- 35 Is quam defuncto voluit servare fidem, nos
 Hanc vivo servare pium est. Agite, altera Dührus,
 Altera Noeltingi laudes celebret tabula!““ „Ohe“
 Hic ego „collegae! quae vos dementia cepit!
 In tabulasne referre virum plane tabularum
- 40 Ignarum? Nihil est! Equidem prosae bene novi
 Hunc hominem osorem quo non magis extitit alter,
 Pagina ut auferat huic multo plus una pedestris
 Sudoris quam si totum recitaret Homerum.
 Hinc versu celebrandus erit quem nil nisi versus
- 45 Delectat.“ Tum collegae: „„Tu vera locutus,
 Tu facias carmen!““ „„Qui possum?““ „„Saepius!““ illi
 „„Lusisti: Dührine pavor te vexat iniqui
 Judicis? Hunc tremis ipse?““ Meum iecur urere bilis.
 „„Hic Rhodus, hic salta!““ quidam clamans male salsus
- 50 Auget opus. Sed ego huic: „Non isto scribimus“ inquam
 „Quo tu rere modo, neque si qui scribat uti nos
 Ridiculos versus, Ovidi furatus apertas
 Gazas, colligat aut disiecti membra Maronis
 Et Valeri Flaccique, putes hunc esse poetam

- 55 Dühri laudibus adsimilem, quem Graeca Camena
 Nascentem placido cum vidit lumine numquam
 Dimisit! Si quae peccavi ego carmina, fidus
 Hensius et probet haec mihi Kuehnus atque facetus
 Taurida — sed Dühri quantum mea discrepet arti
- 60 Expertus flevi. Non longa est fabula. Nempe
 Dührius ut festis, ante hos bis quattuor annos
 Quae meus instituit pater, ipse sodalis adesset
 Rostochi hospitium ad Balcki confugerat atque
 Illuc me adduxit. Tum multa locutus amice
- 65 Graecos hic versus profert, contra ipse Latinos
 Profero, conscriptos in honorem ab utroque paternum.
 Pervolat ille meos, modo se levat ac velut ictus
 Pulice declamat: „Quid tu bone? tene »palantes«
 Scripsisse? o pudor est! »palantes«, docte poeta
- 70 Dicere debebas: nam longa est syllaba prima!“
 Erubui puer ut sextanus forte cigarram
 Aut pretio partam aus cistis plerumque paternis
 Surreptam qui fumat in ima valle: sed illum
 Deprellum sequitur Nemesis superante magistro.
- 75 Praeterea laudat Graecorum Dührius artem,
 Hanc unam miratur et hanc amplectitur unam,
 Romanos imitatores, servum pecus, ille
 Despiciit ingenio ut tardos numerisque minores.
 Nec mirum, Augustus docuit quem Boeckhius et quem
- 80 Grais egregium Musis addixit alumnum
 Is si molitur magno conamine magna.
 Heus, quo tum studio, quo tum flagrabat amore
 Virtutis, quo tum doctas ardore iuventus
 Artes excoluit, Berolinum quae undique laeta

- 85 Confluxit: Pisaea cito revocata putares
 Praemia victori! tum Trendeleburgus inertes
 Exacuit mentes, orientia sidera linguae
 Boppius explicuit, sexcenis Immanuelis
 Bekker conticuit linguis, Massmannus avitum
- 90 Corporis instaurans robur patriae auxit amorem,
 Jahnius iu stadio contendit membra movere —
 Denique quis numerat Berolini lumina docti,
 Inter quae gemini, caelestia sidera, fratres
 Humboldti cupidus peregrinum viserat alter
- 95 Orbem, linguarum ad fontes descenderat alter.
 Hos studiosa cohors regesque ducesque secuta
 Quid non ausa! neque hunc extremos inter euntem
 Tum vidit quisquam. Gressu nam Dührius alto
 Incedens magnum spirabat, nil nisi magna
- 100 Tractabat, nihil et nisi magna voce sonabat.
 Huius ego ut laudes insignes deterere ausim
 Ingenii culpa? Quid? Non committere certum est.“
 Conticuere omnes, unus non posse Probandus
 Maximus os, ut saepe, tenere, sed: „Hoc ego miror
- 105 Non esse ingenio qui tam confidat et arti,
 Audeat ut graecos, facilem rem, condere versus.“
 Talia declamans iuvenis ridetur ab omni
 Conventu; clamor demum ut sedatur: „Habes sic
 Recte! nemo olim nisi tu, cum forte probatus
- 110 Tu fueris, scribet tum carmina graeca, Probande
 Nunc, tibi si sit opus: nostrum coetum esse minorem
 Tu Dühri virtute sinas: equidem dubito an si
 Nos omnes graece quod scimus colligere unum
 In saccum liceat, superet nos Dührius unus.

- 115 Namque per audaces devolvit Pindarus alter
Versus monstra modo Aeolidum, modo Dorica castra
Cautus adit, modo ad Jonias adpellitur oras,
Atque ut acrem concussit equum, modo torquet habenis
Cervices flectitque ferocia colla magister,
- 120 Sic quocumque volet versus agit hic numerosque,
Tam promptus simul et tam fervidus artis amator,
Ut seu natalem quis amicus sive hymenaea
Apparat, hic sit in insidiis, hic carmine graeco
Opprimat incautum, careant ne gaudia vate.“
- 125 „„Quo magis est dignus versu, collega, neque illum,
Me si audis tua quaecumque est nunc Musa silebit““
Tum senior. Quidnam facerem? Ne multa, coactus
Non idem invitus, Dühri, ioculante petivi
Te calamo: rigidus ne sis mihi censor, honestum
- 130 Qui turpi noris versum discernere: quodsi
Denos post annos adamantina iubila prisco
Adpones auro, mea Te bona vota revisent!
-

115 Namque per audaces
 Versus monstra modo
 Cautus adit, modo ad
 Atque ut acrem concuss
 Cervices flectitque fero
 120 Sic quocumque volet v
 Tam promptus simul e
 Ut seu natalem quis ar
 Apparatus, hic sit in insi
 Opprimat incautum, car
 125 „„Quo magis est dignus
 Me si audis tua quaecu
 Tum senior. Quidnam
 Non idem invitus, Düh
 Te calamo: rigidus ne
 130 Qui turpi noris versum
 Denos post annos adam
 Adpones auro, mea Te

larus alter
 modo Dorica castra
 litur oras,
 modo torquet habenis
 gister,
 hic numerosque,
 us artis amator,
 ymenaea
 mine graeco
 adia vate.“
 ega, neque illum,
 unc Musa silebit““
 e multa, coactus
 petivi
 sor, honestum
 quodsi
 a prisco
 revisent!

